CHRIS[...] Autor,
[...]rum,
Dum [...]eus esto
[...]liber!

Notandum ex hoc libro

de Melanchtone pag. -- 215

quod sit Sacramentarius

de Brentio quod ijs etiam

in nonnullis faveret 220.

D. O. M. A. E. C.

Disputatio XVI.

COLLEGII CORPORIS DOctrinæ Prutenicarum Ecclesiarum,

Ac Ordine Secunda.

DE MINISTERII ECCLESIASTICI CAVSSA FORMALI ET FINALI.

SVB PRÆSIDIO

COELESTINI MISLENTæ, SS. Th. D. eiusdem, ut & Hebr. lingvæ Profess. Ordinar. Consistorii Sambiens. assessoris.

RESPONDENTE

Michaele Teschenndorff Regiomont. Pruteno.

Publicè in Auditorio Majori 1. Augusti habenda.

REGIOMONTI,

Typis Laurentii Segebadii, Anno 1625.

Disputatio XVI.

DE MINISTERII ECCLESIASTICI CAUSA formali & finali.

Respondente

MICHAELE Teschendorff *Regio-Borusso.*

Continuatio.

DIsseruimus hactenus de Sacro-Sancti Ministerii Caussâ Efficiente, & Materiali: restat porrò nobis agendum de Formâ & Fine Ministerii: reliqua verò quæ supersunt, rejicimus in sequentem disputationem.

De Sacro-Sancti Ministerii Caussâ Formali.

26. *Forma* Ministerii consistit *tum* in certis Ministrorum Ecclesiæ *gradibus*, ac *ordinibus* tùm in administrandi *modo*.

Est n. Ecclesia regnum spirituale: Uti a. in regno dantur, 1. *Subditi*; 2. *Regentes*; & 3. *partes Regiminis*, in modo administrandi consistentes: Ita quoq; cum Ecclesia comparatum est. Dantur in ea, 1. *Subditi* Spirituales, h. e. *auditores*, adeoq; universus *ordo politicus*, & *œconomicus*: 2. *Regentes* spirituales, quales sunt omnes *Ecclesiæ Doctores*, quocunq; tandem nomine veniant, uti paulò pòst explicabitur: 3. *partes Regiminis* in officii administratione consistentes.

27. De Ordine Canones:

I. *Quoad ordinem, & gradus, Doctores, ac Ministri Ecclesiæ considerantur ceu superiores, Medii, & inferiores.* Siquidem in omni ordine datur *prius & posterius*; alias n. ordo non esset ordo: cùm ordo non possit esse in unitate, 1. Cor. 12. v. 19. sed præsupponat multitudinem, quam postmodum per subordinationem, ad unitatem quandam, adeoq; ad bonitatem simul redigit: proinde dato inter Ministros Ecclesiæ ordine; necessariò dandum erit prius & posterius, adeoq; certi statuendi *gradus* Ministrorum Ecclesiæ. Cæterùm, heîc non agimus in *genere* de ordine, & gradibus Ministrorum Ecclesiæ, prout ii considerari possent, tùm in V. T. in Ecclesiâ *Iudaicâ*; tùm sub N. T. *partim* tempore Christi; *partim* post ascensionem ejusdem, tempore Apostolorum; ubi Ecclesia adhuc erat plantanda maximam partem:

tem; ubi etiam vocatio immediata unà cum donis miraculorum vigere solebat: sed quatenus ordo unà cum gradibus Ministerii Ecclesiæ obtinuit in Ecclesia jam plantatâ, idq; post Apostolorum tempora. Et sic statuimus *varietatem graduum*, quâ docentes in Ecclesia, ut alii sint *superiores alij Medij*, *alii* inferiores: *superiores* sunt *Episcopi*, *Superintendentes*, & *Presbyteri*: *Medii* sunt *Pastores*; *Inferiores*, *Diaconi*.

28. Quæritur heic non immeritò de *Doctoribus* Theologiæ in Academiis docentibus: 1. *utrum in censum Ministrorum Ecclesiæ referendi?* 2. *In quonam ordine collocandi?* Quod *priorem* quæstionem attinet; *pleriq;* negativam: *alii* verò affirmativam defendunt: nos nec *simpliciter* negamus, nec *simpliciter* affirmamus; sed 1. circumstantias probè esse attendendas aimus: aut enim *Soli* officio Professorio, eique Theologico ejusmodi Doctores in Academiis vacant; aut simul *officium Ecclesiasticum* sustinent: Hoc respectu nemo subdubitabit, quin personæ tales in censu Ministrorum Ecclesiæ sint habendæ, sic n. simul ad certum officii gradum, aut superiorem, aut Medium; aut etiam inferiorem pertinent necessariò: Quoad *priorem* respectum: heic *secundò* probè tenendum erit *discrimen* inter Ministerii Ecclesiastici *partes* (de quibus infrà ex professò) ut sunt 1. *prædicatio* verbi, 2. *Administratio* Sacramentorum; 3. *potestas* clavium:

4. *censura* Morum, & doctrinæ; 5. *decisio* casuum controversorum de rebus fidei, adiaphororum, & Matrimonii; 6. *Inspectio*, & visitatio Ecclesiarum, &c. 7. *Examen* instituendorum; 8. *ordinatio*; 9. *Investitura* &c. Quæ quidem ita sunt comparatæ, ut *non* ab omnibus Ecclesiæ Ministris ex toto, & æquo administrentur: ideò tamen non desinunt esse Ecclesiæ ministri v. g. *pleriq;* *Pastorum* circa verbi prædicationem sunt occupati, administratio autem Sacramentorum per *Diaconos* exercetur; rursum per hos reliquæ partes Ministerii nō exercentur nec tamen tàm hi quam illi ex censu ministrorum eliminantur *Pariter* *Professores* Theologiæ in Academiis docentes ob *quasdam* Ministerii *partes* sibi competentes, ex censu Ministrorum Ecclesiæ, iniquè excluduntur. Partes verò illæ sunt ad Professores Theologiæ spectantes: 1. verbi divini orthodoxa *explicatio*; 2. ejusdemq; contra *hæresium insultus*, *vindicatio*. Quò respicientes *libelli nostri auctores*, non tantùm eos, qui ex suggestu, ad plebem conciones habere solent, & Sacramenta administrant; verùm etiam *Theologos* in Academiis docentes Ministris Ecclesiæ accensent; eis partes potissimas tribuendo: 1. quod *sint custodes purioris doctrinæ*, ex 1. Tim. 1. & 6. 2. Tim. 1. quippe quibus Deus Thesaurum verbi sui, ceu sacro S. depositum concredidit, & commendavit; ita, ut *Ecclesia* (non

sola

ſola Academia) quovis tempore depoſitum illud *apud eos requirere poßit* ex ordinatione divinâ, 2. quod ſint *legati Domini* exercituum Mal. 2. 3. quod ſint *diſpenſatores fideles*, quibus in toto mundo nil magis ſit cordi, quàm Eccleſia (non verò *ſola Academia*) quæ ſummum ipſis ſit gaudium, & Corona omnis gloriationis 1. Theſſ. 2. 4. quod *debeant eſſe noctes atq; dies ſoliciti*, ut *Miniſterium* (non verò nudam *Profeßionem, ad Scholam* reſtrictam) quod acceperunt; *ad Eccleſiæ* (& non *ad ſolius Academiæ*, & *Scholæ*) *ædificationem* rectè adminiſtrent, & impleant: utq; Miniſterium hocce non *ex parte*; ſed *plenè* impleant, h. e. tùm *vera docendo*, adeoq; *theſin* inculcando; tùm *falſa* refutando, vel *antitheſin* urgendo, inſtar *Paſtorum* bonorum; non verò mercenariorum ex Joh. 10. 2. Tim. 2. Tit. 1. 5. quod debeant *in futuro judicio coram Tribunali Chriſti manifeſtari* 2. Cor. 5. & *graviorem reddere rationem, quàm reliqui Chriſtiani*, potiſſimùm *de doctrinâ* 2. Cor. 3. & c. 10. Et nequis ſubdubitet, quaſi hæc de Profeſſoribus Theologiæ minimè intelligi debeant; idcircò clariùs ſeſe explicat inferiùs libellus noſter; partes præcipuè *inter Miniſtros Eccleſiæ alios*, injungens *Academiæ Profeſſoribus*, quò puritas doctrinæ in Eccleſiis perſonet: corruptelis verò, in quavis Eccleſiâ ſpeciali ſuſcitatis, obviam eatur: vid. *etiam Verba præfation. §. præcipuè verò vobis.*

29. *Deinde*, pro hac sententia loquuntur Orthodoxi *Theologi*; Wigandus *in tractatu d. persecution. Ministr. p.* 256. *&* *d. arguendis fals. dogm. & Doct. p.* 26. *seq.* 87. 154. (ubi *Professores Theolog. vocat Presbyteros, & Levitas*) inprimis Dn. *Gerhar. Tom.* 6. §. 229. qui ex *Eph.* 4. *vers.* 11. certum ordinem talium Ministrorum Ecclesiæ evincit; qui sunt distincti à *Pastoribus, & Diaconis*, ut & ex *Gal.* 6. *vers.* 6. *Tit.* 3. *vers.* 13. Comprobat insuper exemplo *Panteni, Origenis, Clementis* &c. quondam Academiæ Alexandrinæ Professorum. Cui ad stipulatur Dn. *Nicolaus Hunn. in Disput. de signis Doctoris Ecclesiæ, membr.* 1. *thes.* 4. At inquis: *qui ordinatus non est: is nec Minister Ecclesiæ haberi poterit. Iam verò quidam Professores Theologiæ non sunt ordinati. E. nec Ministri Ecclesiæ statuendi.* ℞. ad *Majorem*, eam ex *parte* procedere, uti suprà indicatum; conceditur sic intellecta, si penes munus docendi, simùl intelligatur *munus Sacramenta dispensandi*: ut & *clavium potestas*. Hæ namq; partes prærequirunt in Ministro Ecclesiæ, *uti vocationem specialem à totâ Ecclesiâ, ita vocationis hujus confirmationem per ordinationis ritum*. Contra verò *munus docendi*, unà cum aliis *suprà recensitis Ordinationem non exigit*: nec etiam *vocationem specialem* ab *aliquâ Ecclesiâ*: *vocationem* quidem *omninò necessariam statuimus*; sed *non à totâ Ecclesiâ speciali*. *Deinde* distinguendum est *inter* Ecclesiam *in genere*. & postmo-

postmodùm *in specie hanc*, vel *illam*; Majorem *posteriori* sensu acceptam concedimus? quod videlicet *ordinatio sit necessaria in Ecclesiæ specialis, hujus, vel illius ministro*; Hinc etiam *ordinatio restringit ordinatum ad certam Ecclesiam*, vel *specialem, hanc, vel illam*; negamus verò esse *necessariâ in Ministro Ecclesiæ in genere*. Et sic etiã negamus *Majorem*: Academiæ E. *Professores* Theologi, *utut non sint Ministri Ecclesiæ specialis*, vel *particularis*; sunt *tamen Ministri Ecclesiæ generalis, vel totius, uti loquitur* Wigand. *p. m. loc. alleg. p.* 256. sic scribens: *sunt enim* Professores *Theologici quasi* κοινὸν ἀγαθὸν, *&* Communi *Ecclesiæ servunt: ipsorum itaq; amißio communis* Ecclesiæ *damnum est, &* Dn. Hunn. *d. l.* Hinc ibid. *ab eodem vocantur Prophetæ*, ex 1. *Sam.* 19. *vers.* 20. 2. Reg. 2. *vers.* 3. 5. Luc. 4. *vers.* 24. Apoc. 11. *v.* 10. Unde concludimus: Si ii *dicuntur Ecclesiæ ministri, qui Ecclesiæ præsunt particulari: multò magis ii, qui generaliter pro doctrinæ sinceritate totius Ecclesiæ, vel omnium Ecclesiarum in aliquâ Provincia laborant, eiq; serviunt*.

30. Quoad *posteriorem* Quæstionem, cùm jam evictum sit: Theologiæ *Professores ad Ministerium jure optimo pertinere*: satisfaciendum etiam scrupulositati restat, subinde quærentis *sub quonam ordine Ministrorum Ecclesiæ tales Theologi comprehendantur?* Ubi *dupliciter* respondendum erit 1. vel juxta *stilum Scripturæ* S. & sic *peculiaris* ordo ejusmodi Theologis erit assignandus, *Doctorum* καθ᾽ ἐξοχὴν & *Prophe-*

rum dictus, isq; ordini *Pastorum*, *&* *Diacono*-*rum* contradistinctus 1. Cor. 12. vers. 28. 29. Eph. 4. vers. 10. 2. vel *stilo Ecclesiæ*, & sic talis Theologorum ordo *participabit de ordine, & gradu*, tùm *Episcoporum*; tùm *Pastorum*. De illo quidem 1. ratione *plurium Ecclesiarum*; quibus prospicere tenentur *vera* docendo, & propugnando, *falsa* verò refutando, & profligando: 2. ratione *genericæ* acceptionis vocis *Episcopi*, sub qua continentur *omnes & singuli, qui docendi munere in Ecclesia funguntur*: 3. ratione *decisionis* casuum dubiorum, circa *fidem, & mores* occurrentium: 4. ratione *examinis* eorum qui ad Ministerium vocantur: 5. ratione *Inspectionis, & Visitationis Ecclesiarum & Scholarum*: quæ quidem partes denegari non debent Theologiæ Professoribus Academicis; iis præsertim, qui cum reliquis Consistorii Assessoribus presbyterium, vel Senatum Ecclesiasticum repræsentant, & constituunt. De *ordine* insuper *Pastorum* participant: quoad *διδασκαλίαν doctrinæ* sanorum verborum & ἔλεγχον, vel quoad *refutationem*. Atque huc respicit *libellus noster*, qui *officium Professorum Theologiæ sub officio Pastorum includit*.

31. Unde deducimus *consectaria*: 1. *Nefarie Theologos Professores opponi Ministerio*: subordinata enim sese non excludunt; sed includunt, æquè ac si quis Presbyteros opponeret perperàm Diaconis, aut Pastoribus, ceu mini-

ſtris 2. *A cauſſarum Miniſterialium dijudicatione iniquè ſequeſtrari* Theologos Academicos: Licet n. hi non teneantur exercere quasdam miniſterii partes: Cognitio tamen *cauſſarum omnium*, ſive *practicarum*, ſive *theoreticarum* iis denegari non debet tunc præſertim *ubi communis Eccleſiæ cauſſa agitur, cui jure tenentur proſpicere*. Id quod etiam ſibi vult praxis in Agenda Eccleſ. A. 1544. in præfat. ubi ad Eccleſiaſticorum reſolutum deliberationem triplex ordo vocari jubetur, 1. Epiſcoporum, 2. Thelogorum in academiâ, & 3. Contionatorum. Si n. de *omnibus* iis *liberum* ac *integrum* eſt Profeſſoribus Theologis publicitus (aut etiam in Senatu Eccleſiaſtico) ferre judicium, *ſive* vivâ voce, *ſive* ſcriptis: quo jure jam excludentur à cognitione & ventilatione earundem in communibus congreſſibus aliis? At *inquis*, concedendo, *quà caſus* Theoreticos; negando *quà practicos miniſteriales*. *Reſp.* ex *libello noſtro*: omnes caſus, *quibus in Eccleſia diſſenſiones, & offendicula excitantur contra Catecheſin, & Corpus doctrinæ noſtrum; non tantum ad Paſtores; ſed etiam ad Profeſſores Academiæ cognoſcendi, & dijudicandi ſunt devoluti*. Atqui tales caſus non tantum ſunt *Theoretici*; ſed etiam *practici* E. 2. Quia *Theologiæ Profeſſores tenentur Eccleſiis proſpicere*: utiq; tenentur etiam *judicio & conſilio ſuo eidem ſuccurrere* in quibusvis caſibus, *ſive* ſint Theoretici, *ſive* Practici. Et

quid

quid multis? annon 3. casus *Ministeriales practici sunt Theologici*? quo jure E. negatur eorum dijudicatio Theologis, licet non Ministris hujus, vel illius Ecclesiæ specialis?

II. Canon: *Ordo inter Ministros Ecclesiæ est divinitùs institutus* 1. Cor. 12. v. 28. ubi *Apostoli, Prophetæ, Doctores* &c. à Deo in Ecclesiâ positi esse dicuntur ut & *Eph.* 4. *vers.* 11. ubi *Apostolis & Prophetis* adjunguntur *Evangelistæ, Pastores, & Doctores*; Sic 1. Tim. 3. v. 2. sequ. Tit. 1. v. 7. ordo inculcatur inter *Episcopos, & Diaconos*. *Presbyterii* insuper fit mentio passim in N. T. Ubi tamen *limitationis* caussâ tenendum: *dupliciter* Ordinem Ministrorum Ecclesiæ considerari posse 1. *relatè*, & 2. *absolutè*. Illo respectu statuimus ordinem Ecclesiasticum esse *divinitùs institutum*, idq; sub *triplici* consideratione 1. ratione *generis*, siquidem omnia administrari in Ecclesiâ debent εὐσχημόνως, & juxta ordinem *1. Cor. 14. vers.* 40 Non potest itaq;, neq; debet ex cœtu Ecclesiæ rectè gubernando excludi ordo eorum imprimis, qui Ecclesiæ præsunt, ad evitandas confusiones 2. ratione *donorum*; quorum varietate & differentiâ declaratâ, Deus gradus inter Ecclesiæ Ministros constituit, *Rom.* 12. *vers.* 6. 7. 8. 1. Cor. 3. *vers.* 5. *c.* 12. *vers.* 4. 5. 7. 8. 10. 11. 18. *Eph.* 4. *vers.* 7. 8. 1. *Pet.* 4. *v.* 10. 3. ratione *quorundam graduum* in specie; quatenus ipse Deus distinctionem inter

inter gradus Ministrorum Ecclesiæ posuit: non enim omnes posuit, vel *Apostolos*, vel *Prophetas*, vel *doctores*, vel *Pastores* &c. sed alios *Apostolos*; alios *Prophetas*; alios *Doctores*; alios *Pastores*:

Posteriori verò respectu statuere non possumus, quod *distinctio graduum omnium in Ministerio Ecclesiastico* modernis temporibus ab *institutione divina dependeat*, nimirum *absolutè & generaliter*: v. g. quando distinguuntur *Episcopi* vel Superintendentes à *Pastoribus*, *Presbyteris & Diaconis*: Quippe gradus illi non sunt *certo* ac *præcise*, *vel ad minimum necessario numero à Deo præscripti*, *vel ab Apostolis usurpati*: Ac proinde *libertatem potiùs Ecclesiasticam* pronunciamus Instituti hujus *Ordinis fundamentum*; quàm divinam *auctoritatem*. Non diffitemur quidem mentionem fieri in sacris, tum *Episcoporum* Act. 20. v. 28. 1. Tim. 3. v. 1. 2. Tit. 1. v. 7. tum *presbyterorum* 1. Tim. 4. v. 14. c. 5. v. 17. 22. Tit. 1. v. 5. Negamus verò, illa nomina diversitatem sive *officii*; sive *graduum* importasse; sed *unum ac eundem officii gradum diversis nominibus significatum fuisse*. Id quod patet 1. ex *permutatione* horum nominum, de *uno*, eodemq; *officio*, & *gradu*: Nam qui uno in loco innuebantur nomine *presbyterorum*, iidem è vestigio *partim*; *partim* alibi efferuntur per *Episcopos*: sic Act. 20. v. 17. *presbyteri* Ecclesiæ Ephesinæ efferuntur per *Episcopos*:

ibid.

Ibid. v. 28. Sic qui ceu *presbyteri* instituendi Tito præcipiuntur v. 5. ii per *Episcopos* v. 7. efferuntur. Talis nominum enallage occurrit 1. Pet. 5. v. 1. & 2.

2. Ex *multitudine Episcoporum* in unâ & eâdem Ecclesia; id quod fieri non posset, si Episcopi *sensu Ecclesiastico* forent intelligendi: potius igitur innuuntur mentione Episcoporum *Presbyteri*: vid. Philip. 1. v. 1. 3. Ex *omißione Episcoporũ* ex numero graduum Ecclesiasticorũ 1. Cor. 12. Eph. 4. 4. ex Patrum *explicatione*, qui utraq; nomina Presbyterorum & Episcoporum pro retrocurrentibus capiunt; ac disertè fatentur, *Tempore Apostolorum non fuisse distinctos gradus Episcoporum, & Presbyterorum*: vid. Hieron. *Tom.* 2. *Epist.* 85. *ad Evagrium*; *Tom.* 6. *Comment. super c.* 1. *Tit. ubi* sic concludit B. Hieronymus: *Sicut presbyteri sciunt, se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos; ita Episcopi noverint, se magis consuetudine, quàm dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, & in commune debere Ecclesiam regere.* Suffragatur Theophyl. *super Philip. c.* 1. nec non *Oecumen. Ambros. Augustin. Sedulius, Primasius, Chrysost. Theodoretus*: quamobrem etiam hi omnes hæreseos Aërianæ rei aguntur à Michaële Medinâ *lib.* 1. *de sacror. hom. Origine, & Contin. c.* 5. 5. Idem asserit cum *Lombardo* (lib. 4. d. 24.) Gratian. *dist.* 93. *cap. Legimus* 24. & *dist.* 95. *c. olim* 5. 6. Idem patet ex *confeßione* quorundam *Pontificiorum*:

utpote

nepote *Cardinalis Arelatensis*, apud Æneam Sylvium *lib.* 1. *de Conc. Basil. gest.* Johan. Parisiens *lib. de potestat. Pap.* Erasm. *in Comment. super* 1. *Tim.* 4. *&* 1. *Pet.* 5. *v.* 1. Cassander *Consultat. art.* 14. Consule de hac Quæstione: *Vtrum Episcopus differat à Presbytero?* fusius disserentes Dn. Gerhard. *Tom.* 6. §. 234. *sequ.* Dn. Meisn. *lib.* 4. *de Legib. artic.* 2. *Quæst.* 3. *p.* 554. *sequ. & part.* 2. *sobr. Philosoph. c.* 2. *Quæst.* 11. *p.* 468. *sequ.* Dn. Nicol. Hunn. *de Minister. Luther. in demonstrat. appendice, seu digreßione, p.*296. ubi etiam contraria Papistarum sententia, unà cum objectionibus sufficienter discutitur & refutatur.

32. Cum itaq; hactenus probatum dedeximus, Gradus Episcoporum & Presbyterorum, non esse jure *divino*, sed Ecclesiæ *auctoritate, & libertate* introductos; paucis edisserendum pro explicatione ulteriori restat 1. *Quandonam*, ac quibus *de caußis ejusmodi gradus ab Ecclesia sint introducti? &* 2. *Quibusnam limitibus distincti*, & quotuplices statuendi ex usu & constitutione Ecclesiæ perantiquæ?

33. Ut igitur ad *priorem* Quæstionem respondeamus, *breviter* dicimus: post *tempora Apostolorum ejusmodi Ordines cœpisse in Ecclesiâ*: Hac enim plantatâ, & locupletiori factâ, ad expeditiorem *tàm* Ecclesiæ, *quàm* docentium curam gerendam: certæ alicui personæ Ecclesiasticæ inspectio super reliquos omnes demanda-

mandata fuit, quò sic melius in officio contineri possent: ita quidem, ut in *una Civitate multi* essent *presbyteri*: *unus verò Episcopus*: Deinde hanc graduum distinctionē concessam esse *ab Ecclesiâ in Schismatis remedium*, auctor est *Hieron*. d. l. 3. Eandem efflagitavit *multitudo laborum* in Ecclesiâ; qui in numerosiori populi cætu non poterant ex æquo ab omnibus expediri: Uti igitur *laborum partitio* distinctis personis demandata; ita distincti gradus singulis assignati sunt: idq; ad exemplum *Apostolorum*: quorum *officia*, & *gradus* erant uniformia primitus, ratione *distributionis* Eleemosynarum: pòst verò, crescente *Discipulorum* numero, cura administrandorum bonorum devoluta erat ad *Diaconos*: Apostoli verò Ministerio verbi, & orationi vacabant. *Act*. 6.*v*. 4. Ita progressu temporis numerus graduum sub Apostolis auctior factus esse legitur, crescente Ecclesia, 1. *Cor*. c. 12. & 14. *Eph*. 4. In primitiva Ecclesiâ, post Apostolorum tempora non plures occurrêre gradus Ministerii, quàm *Episcoporum*, *Presbyterorum*, & *Diaconorum*, vid. Euseb. *l*. 5. *c*. 1. Hieron. *Epist. ad Evagr*. Niceph. *lib*. 3. *c*. 29. *confer Epist. Ignatii*.

34. Ad *posteriorem* responsuri, diligenter expendi oportere monemus, quinam veniant hodieq; in nostris Ecclesiis nomine *Episcoporum*; 2. *Presbyterorum* & 3. *Diaconorum*?

35. *Episcopus* derivatur ἀπὸ τῦ ἐπισκοπεῖν h. e.

h. e. *superintendere*, interprete B. August. *lib.* 19. *de* C. D. *c.* 19. *& supra Psal.* 126. nec non *sermon. de Sanct. serm. ult.* Vox igitur Episcopus, est origine *Græca*, ex profanis auctoribus desumta, quibus *Episcopus* erat *visitator*, ac *Inspector* civitatum; aut verò ex LXX. Num. *6. v.*14.*c.*31. *v.*14. 2.Reg. 11. *v.* 18. *Nehem.* 11. *v.* 22. *Iud.* 9. *v.*28.2.*Paral.*34.*v.* 12. quam latini *Patres partim* retinuerunt, *partim* proprietate sermonis sui donarunt, ac *Episcopum* vocarunt *Superintendentem*: quæ interpretatio occurrit apud *Hieron. & Augustin.* d. l. ut & Isidor. *lib.* 7. *Etymol. c.* 12. (ubi etiam legitur interpretatio Episcoporum per *Speculatores*) allegaturq; à Gratian. *c. Cleros dist.* 21. vel *superInspectorem*, quæ vox legitur apud *Ambrosium*. Triplici a. in significatione à Theologis capitur appellatio *Episcopi* 1. καθ' ἐξοχὴν sensu *Magisteriali*, quâ intelligitur ipse *Christus*, ceu Caput nostrum unicum, 1. Pet. 2. v. 25. 2. sensu *Ministeriali Apostolico*, quâ intelliguntur quilibet Ecclesiæ ministri, adeò, ut nomen hocce Diaconis quoq; tribui possit: siquidem & his cura æquè incumbit prospiciendi Gregi sibi divinitùs commisso 3. sensu Ministeriali *Ecclesiastico*, eoq; non *Papali*, qui aliàs Satanicus appellatur à quibusdam; sed *Evangelico*, de quo nos impræsentiarùm agimus.

36. Ubi notandum 1. descriptionem *Episcopi variare pro varietate constitutionum in diver-*

ſis Provinciis, Regnis, *& ducatibus*; non poſſe igitur certam aliquam aſſignari; neq; n. heîc loquimur de *omnibus Epiſcopis*, iisq; *extra* Papatum conſtitutis, ſive in *Imperio* Romano; ſive *extra* illud. Sic quippe impoſſibile, deſcriptionem aliquam adaptari omnibus ex æquo Epiſcopis poſſe, haud diffitemur. Sic v. g. *alia* eſt ratio *Epiſcoporum* in *Germaniæ* ducatibus quibusdam, qui ex illuſtribus familiis creari, & non tàm Eccleſiis directè, quàm Ordini Politico præfici ſolent. Hi E. *impropriè Epiſcopi* dicuntur, ſed potiùs *Magiſtratus Politicus*: retinent nihilominus titulum Epiſcoporum, ob jus Epiſcopale, vigore transactionis Paſſavienſis, ad ſe translatum: ſub quo *quatuor* comprehenduntur 1. *Ordo*, adeoq; poteſtas publicè docendi, & prædicandi verbum Dei; Sacramenta adminiſtrandi; ligandi & ſolvendi: ac omnes reliquæ partes, quæ per Miniſterium, ratione omnium ſuorum graduum peragi in noſtris Eccleſiis ſolent. 2. *Dioeceſana* Lex, ad quam pertinet *Canonica* obedientia, ſubjectio, & Reverentia: ac præcipuè *Adminiſtratio*, *Diſpoſitio*, *& Gubernatio* rerum, & bonorum Eccleſiæ mobilium, & immobilium 3. *Iuriſdictio* ratione cauſſarum ſpiritualium, & criminalium: 4. *Status*, ſub quo comprehenduntur *Privilegia*, *immunitates*, *& ſecuritates* Epiſcopales: quæ omnia ex Laurent. Sim ICto *in tractat. de jure Epiſcopali fuſiùs*

pertra-

pertractat Dn. *Gerhard. d. l. sect.* 5. §. 108. sequ. Ubi observationem meretur imprimis, *Ius illud Episcopale, ad solos Principes Imperii Augustanæ Confeßioni ex asse addictos*, vigore illius transactionis, *esse devolutum*, nullatenùs verò *ad Malè reformatos*, h. e. Calvinismo corruptos, eumq; profitentes: *Hi n. uti à pacificatione religionis: ita ab omni jure Episcopali devoluto exclusi sunt, ac hunc usq; in diem pro exclusis habentur.* vid. Sleidan. *lib.* 26. *de Formul. Pacificat. & Receß. Imperii de A.* 1552. 1555. 1556. Sic etiã alia ratio est *Episcoporum in Germania*, sub *Electoribus, & Principibus* Orthodoxis; quos ibi *Superintendentes* vocant: ac dividuntur in *speciales*, quibus nostri *Archipresbyteri* correspondent, *& Generales*, quibus, cura Ecclesiarum, & Pastorum simul incumbit: ac *Generalißimos*, qui non modò Ecclesiarum, & Pastorum, sed etiam *Academiarum & Scholarum* curam gerunt: iisq; prospiciunt: & sic hic quidem ordo adhuc in *Electoratu* Saxonico, & *Ducatibus* superioris, & inferioris Saxoniæ, & Pomeraniæ orthodoxis laudabiliter obtinet; alibi verò permutatis nominibus visuntur *Præpositi Abbates, & Abbatiæ*, ut in Ducatu *Wurtembergico, Franconico, &c.*

37. *Alia* insuper ratio est *Episcoporum* in hoc *ducatu*, juxta piissimam sanctionem, & constitutionem nunquam satis laudati *Primi Patriæ nostræ Patris*, Ducis *Alberti*, p. m. in tractatu von der Bischofflichen Wahl/ &c.

Et quia Liber ille non in omnium versatur manibus; præcipuas, & scitu necessarias ex eo eruemus observationes, quibus, ceu limitibus quibusdam tùm ordinem illum munire; tùm determinare pientissimus Princeps, accedentibus *omnium Ordinum in Borußiaco Ducatu*, post longam deliberationem in communi *Rastenburgensi Conventu* institutam, votis, ac suffragiis voluit.

1. *Duos perpetuis temporibus debere præesse Ducatus hujus Ecclesiis Episcopos: Vnum in* Tractu *Sambiensi*: cui etiam sedes Regiomonti designata; *Alterum in Pomezaniensi*, cui sedes *Liebenmuhli* destinata. Statim à princip. §. Sintemahl.

2. *Electionem Episcopi alterutrius institui debere* 1. requisito *Episcopi* (cujus etiam totius Ministerii partes repræsentare proprium erat) in *vivis superstitis* (des jederzeit im Leben wesenden Bischoffs) *consilio, & judicio*: 2. ab *omnibus Consiliariis Aulicis, & Provincialibus*: 3. ab *octo* ex statu *Baronum; & octo ex* ordine *Civico* delegatis personis: 4. ab accersitis insuper aliis doctis & *piis* Ecclesiæ *Ministris* §. Mit der wahl aber.

3. *Episcopis potestatem non solùm administrandi verbum, & Sacramenta; sed etiam exercendi Iurisdictionem plenariam in rebus Spiritualibus & Ecclesiasticis competere.* Quò pertinet jus *examinandi*,

nandi, ordinandi, & Confirmandi, seu investiendi Ministros Ecclesiæ in toto Ducatu: vid. titul. Iurisdict. der Bischoff. §. Eß sollen auch hiemit obgemelte Bischöffe jhr Geistlich Regiment / vnd vollkommene Jurisdiction in Geistlichen/ vnd Kirchensachen vngehindert führen / vnd behalten/ also das Sie dieselbige jhre Jurisdiction nach Gottes Wort/ vnd vblichem Christlichem gebrauch/in lehren/Predigen/auffsehung/ vnd bestellung aller nothwendigen Dienste der Kirchen execution solcher Lehr/vnd Predigten zu jederzeit gebrauchen vnd fortsetzen / ꝛc. & tit. von der Einführung: ubi notandum: literis confirmatoriis non Principis, vel Magistratus; sed Episcopi nomine exaratis Ministrorum Ecclesiæ inaugurationem peragi solitam fuisse (vnd darüber von derCantzell der Gemeine die Institution Schrifft des Bischoffs fürlese) jus recipiendi Ludimagistros,titul. von der bestellung der Schuldiener §. Eß soll aber demnach kein Schuldiener ꝛc.

4. Inspectionem Generalem 1. Academiæ, Consistorii, universi Ministerii, omnium Scholarum, Xenodochiorum, Typographiæ, Bibliopolarum, ad Episcopos pertinere, idq; perpetuis temporibus,

unà cum plenariâ Iurisdictone conjunctam titul. von der Inspection, vnd jhr Ambt: & titul. fürnehme Artickel §. darumb sollen auch. Ubi tamen Jurisdictio illa & Inspectio non conceditur *absoluta*, sed ad *Normam verbi* Dei, & *nostros libellos Symbolicos comparata*, titul. priori §. Demnach sollen die Herrn & præced. titul. uti suprà citat. 2. *Executionem*, qua punienda delicta non *gladio ferri*; sed *verbi ad Episcopos spectasse* titul. fürnehme Artickel §. penult. & titul. von den zuhörern vnd Pfarleüten §. ne Sacramentarii, & sequ.

5. *Visitationem annuam Ecclesiarum & Scholarum, ut & Synodorum, tùm particularium* (singulis annis) *tùm generalium, flagitante sic necessitate convocationem; Episcopis esse commissam* titul. von der visitation der Bischoff/vnd von Synodis & titul. fürnehme Artickell ꝛc. post artic. 5. §. diese sind die fürnehmsten.

38. Atq; hactenus de ordine Episcopali, uti quidem olim in flore & vigore sub pio quondam *Magistratu* in Patria nostrâ constitutus, & observatus fuerat, aliquid commemorasse propter exteros consultum fuerat. Cæterùm de ipsius *necessitate & utilitate* inferiù

mone

monebitur: Nunc brevioribus lineolis contemplabimur ordinem *Presbyterorum*, & *Diaconorum*.

39. *Presbyteri* dicuntur vel ſenſu *ſcripturæ*, & ſic in N. T. *triplici* ſenſu veniunt: (1.) pro *proceribus* tribuum populi Iſraëlitici ad ordinationem *Num.* 11. *v.* 24. de quibus *Matth.* 21. *v.* 23. *c.* 26. *v.* 3. qui quidem unà cum Sacerdotibus, & Scribis conſtituebant Synedrium (2.) pro *Senioribus* in *primitivâ Eccleſiâ* poſt Chriſti aſcenſionem, qui morum cenſuræ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervandæ duntaxat præerant, in defectu Magiſtratus fidelis in Ethniciſmo, *alias Gubernatores dicti* 1. *Cor.* 12. *v.* 28. & *Præpoſiti*, Rom. 12. v. 8. de quo ordine D. *Ambroſ. ſuper* 1. *Tim.* 5. *in commentar.* diſſerit (3.) pro *perſonis munere docēdi* publico in Eccleſia fungentibus, 1. Tim. 5. v. 17. iisque *partim* ad *ſpecialem* Eccleſiam vocatis, & manuum impoſitione confirmatis, accepta ſimul clavium poteſtate; *partim* pro Eccleſiæ totius ſinceritate laborantibus, uti ſuprà explicatum. *Illæ* conſtituebant ordinem Paſtorum; *Hæ* verò Doctorum, & Prophetarum; *Illæ* cum titulo & officio Epiſcoporum permutantur ex toto, tùm in verbi, tùm Sacramentorum adminiſtratione, *Hæ* verò *ex parte*, ratione publici muneris docendi.

40. Utraq; diſtinguuntur *à Diaconis* Act. 6. v. 2. 3. 4. 1. Tim. 3. v. 8. 12. Phil. 1. v. 1.

41. *Vel* ſenſu Eccleſiæ; atq; ita *Presbyteri* differunt ab Epiſcopis, non jure *divino*; ſed *humano*, ac *Eccleſiaſtico*: non dignitate *officii*; ſed *ordinis*. Et ſic multi Presbyteri ſubſunt uni alicui Epiſcopo; non tamen ſubjectione coactivâ, vel ſervili, ſed fraternâ coordinatione; Ideoq; jus non debet (uti quidem nec poteſt) Epiſcopus, vel Superintendens exercere in Presbyteros αὐτοκρατορικὸν, aut authenticum; ſed ἀδελφικὸν, & ὑπεύθυνον; ita, ut ſi vel in doctrinâ, vel moribus ipſemet erraric, correctiones Presbyterii fraternas admittat.

42. Cæterùm *ordo* Presbyterorum ſic conſideratus in Eccleſiâ etiam gradus admittit: ita, ut quidam ſint, & dicantur *Presbyteri ſimpliciter*, in eodem gradu Ordinis cum Paſtoribus conſtituti; *alii* inſuper *Archipresbyteri*, eundem gradum Ordinis cum Superintendentibus ſpecialibus in Germaniâ; vel *Epiſcopis* ſpecialibus in *Daniâ*, & *Sueciâ* repræſentantes: qui quidem ordo in noſtris etiam obtinet Eccleſiis, aſt vero injuriâ temporis collapſus, cum reliquo ordine magis, quàm integer deprehenditur.

43. Deniq; *Diaconi* quot modis efferantur, diligenter annotavit Dn. Gerhard. *loc. citat.* §. 30. nos attendimus ſignificationem ſuprà membro I. aſſignatam in *titul. concret.* §. 3. Heic addimus: (1.) *Originem ordinem huncce ab Apoſtolis traxiſſe*, *Act.* 6. *v.* 1. 2. 3. 4. (2.) primitus

mitus circa necessariorum *distributionem*, quâ τὰ βιωτικὰ occupatum fuisse, præsertim in Ecclesia *Hierosolymitana* (3.) progressu temporis verò ad curam *pauperum*, *peregrinorum*, *& ægrotorum habendam* in Ecclesia ex collectis Ecclesiasticis Rom. 12. v. 7. *restrictum fuisse*, quo sensu *fœminis* etiam delegabatur, *Rom.* 16. *v.* 1. 2. (4.) munus docendi *ordinarium eidem ordini Deum devinxisse, ut & Sacramenta administrandi: Qui in significatione à Pastoribus nil differunt; nisi primitate ordinis:* collocantur quippe in ordine inferiori, quoties cum *Episcopis*, aut *presbyteris* conferuntur, *Phil.* 1. *v.* 1. 1. *Tim.* 3. *v.* 8. 12. ubi fit mentio gradus diversi. Verum & Diaconi inter se, ubi plures sunt, distinguuntur, ut unus eorum vocetur Archidiaconus; alii simpliciter Diaconi.

44. Hi itaq;, quos hucusq; recensuimus, sunt ministrorum Ordines adhuc in Ecclesiis Germaniæ, iisq; benè constitutis, & nondum collapsis, quales quidem sub pio, & fideli Magistratu visuntur, bono fine retenti; Ubi verò meritò negligimus Ordines *Pontificiorum*; idque tantò magis, quanto majori studio jure divino eosdem stabilire satagunt: Sed quàm feliciter, indicandum erit in Antithesi, ubi etiam êcontra exsecrabimur ἀταξίαν Calvinianorum, & Fanaticorum, ordinem in Ecclesiâ abolentium.

45. Neq; insuper juvat singulorum Or-

dinum officia prolixius edisserere; factum jam hoc ab aliis nolo tædiosè repetere: vid. Dn. *Tarnov. lib. 3. de Minister.* Dn. Gerhard. *Tom. 6. allegat. c. 6. sect. poster. p. 425. §. 265. sequ.* Et potest adhæc de officio cujuslibet Ordinis Ecclesiastici ex peculiaribus Ecclesiarum *Agendis* vel ordinationibus judicium fieri. Ad extremum *libellus* noster officia Pastorum, omniumq; Ecclesiæ Ministrorum satis sufficienter inculcat: ceu in II. capit. ab initio monitum. ac fusissimè omnium Wigand. *p.m. alleg. tract. d. arguendis fals. dogm.*

Canon III. *Ordo aßignatus inter Ministros Ecclesiæ est necessarius*: 1. quidē in *genere*, ut ex Canone secūdo constat: quippe quia *divinus* 1. ob *voluntatem* Dei, quâ vult omnia in Ecclesia geri εὐτάκτως, καὶ εὐσχημόνως: 2. ob *variorum* donorum distributionem divinitùs Ecclesiæ Ministris concessam: qua ipsa simul gradus & ordines certos ab invicem distinxit; quà labores, & officii munia. 3. ob quosdam *gradus in specie* à Deo ipso in Ecclesia assignatos 2. In *specie* necessitatem inter ordinem, & distinctionem graduum Ministrorum nostrarum Ecclesiarum, à pio quondam Magistratu introductam & confirmatam suadet *neceßitas gemina*: I. ex parte *constitutionis patriæ fundamentalis*. Siquidem 1. agnoscit *dispositionem supremi Magistratus nostri* non ex *oscitantia*, aut *præcipitantiâ*; nec ex alieno *suasu*, aut instinctu profe-

ctam,

ctam; sed ex *pio erga religionem Zelo*; *ex plena deliberatione, bono consilio, ac pensiculatis ultrò citroq; rationum momentis*; idq; non ad certam ac determinatam periodum temporis; sed in *perpetuum*: vid. tractat. von der Bischöfflichen wahl. Verba proœmii lectu digna, & benè observanda: præsertim circa finem: Wollen wir den folgen rc. dieselben Bistumb allzeit erhalten/ vnd dahin trachten/ das Sie mit geschickten Gottsfürchtigen Männern bestellet werden/ & titul. von der Wahl/ jubetur in subsidium asciſci consilium *continuo temporis tractu durantis* alterutrius Episcopi, des jederzeit im leben wesenden Bischoffs rc. Idem inculcatur *sequ. titulo de Iurisdict. inclusis simul perpetuis in Regimine successoribus*, titul. de Inspectione: Vber welchem allem wir als der LandesFürst/ vnd die jederzeit regierende Herrschafft mit höhestem fleiß/ in allen gnaden/ vnserm tragenden Ambt nach zuhalten bedacht/ willig/ vnnd erböttig seindt.
2. quia Dispositio illa pientissimi Ducis ab *omnibus statibus, & ordinibus* hujus Ducatus unanimibus suffragiis fuit approbata, & *communi consensu* recepta in omnibus punctis, & clausulis (tempore Conventus illius *Rastenburgensis*) nunquam mutanda, sed perpetuis tempo-

ribus

ribus, ceu firmissima (für fest zuhalten) piè, *reverenter*, *&* *constanter* observanda: vid. *con. clus. verba tractat. citat.* 3. quia *non in arbitrio* relicta; sed *ut perpetua Norma sub comminatione severæ ultionis, & vindictæ, omnibus statibus, universis in officio aliquo dignitatis constitutis implenda injuncta est.* 4. Adhæc ex *abundanti* addimus, quia ad *gloriam* Dei, *&* *pietatem promovendam; orthodoxam religionem propagandam, & conservandam*; dispositio illa est *a* piissimo Magistratu instituta: qui quidem fines in plurimis titulis tractatus illius subinde inculcantur, & repetuntur: vid. *vestibul. item titul. de Inspect.* titul. von fürnehmen Artickeln. *§. 1. & penultim.* Unde certum sumi poterit κριτήριον de sinceris, & hypocritis colonis in Borussiâ. Qui *n. per omnia fundamentalem hancce Magistratus dispositionem ex animo* (ex animo, inquam, non specietenùs) *observant, aut observare annituntur, ac expetunt: ii etiam sinceram religionem sibi cordi esse; indubitatò manifestum reddunt.* Et contra: Quicunq; *executionem hujus dispositionis impediunt, ii simul fini pio, piißimi Ducis contranituntur*: quare non pro *orthodoxis; sed cacodoxis, aut hypocritis habendi.* Hinc inferimus: Omnis Lex fundamentalis est inviolabilis, sed sanctè omninò servanda, & implenda: Jam verò dispositio Ducis pientissimi de Ordine inter Episcopos, Pastores, & alios gradus Ministerii est Lex fundamentalis:

lis: uti ex hactenus dictis evictum. E. omninò servanda *tùm à* supremo Magistratu; *tùm* omnibus Statibus: Et vice versa: Ubi contra ejusmodi dispositionem fundamentalem peccatur: ibi simul pietatis avitæ violatio in Heroe illo p. m. committitur, ejusq; voluntati injuria infertur. II. ex *parte status Ecclesiastici* necessaria omninò est *Vnius* super alios præfectura, vel Inspectio: 1. ob partes officii *singulas* eò dexterius, & feliciùs expediundas: ubi requiritur *prudentia, & discretio*, quâ quia multi destituuntur, ductore necessario indigent: 2. ob *casus* dubios occurrentes, eosq; multiplices, ceu sunt partim fidei; *partim* conscientiæ, *partim* morum, *partim* rituum: ex quibus plurimi sese expedire nequeunt. E. opus habeant, ad quem eos devolvant, oportet: 3. ob caussas *Ministeriales* subinde in praxi obvenientes: quas ad Inspectorem deferre honestiùs, potiùs quàm ad Judicem Politicum devolvere 4. ob *conservationem disciplinæ* inter Ministros Ecclesiæ: multi n. accusantur desidiæ; plerique ebriositatis, & gulæ; aliqui luxûs: aliqui scurrilitatis; nonnulli rixarum, contentionum, & Schismatum, aliorumque scandalorum: Ast quo remedio, hi & id genus alii *tàm* defectus, *quàm* excessus refrenabuntur, sublatâ (una cum eminentiori Ministerii gradu) simul potestate accusatos intra officii limites, & terminos cohercendi, & compescendi? O-

mnes

mnes interea deteriores fiunt licentiâ, ministerium verò incurrit reprehensionem, & maledicentiam apud veritatis hostes, contra 2. Cor. 6. v. 3. 5. ob *cooptationem* in collegium ministrorum, si ita necessitas efflagitarit, per modum successionis in locum alterius quocunq; casu ex officio decedentis: ubi judicium, & discretio Inspectoris necessariò requirenda, ne vel *imperiti*, aut *rixosi*, aut aliis vitiis *notati*, Ecclesiæ præficiantur.

Canon IV. *Ordinis, & graduum diversitas in Ecclesiastico Ministerio est multis modis utilis, & proficua.*

Primò ex parte *Ministrorum Ecclesiæ*: 1. ad evitandas *confusiones*: quæ quidem absente Ordine oboriuntur: Ut verò evitentur, requiretur necessariò *certus ordo*, seu diversitas graduum in officio Ecclesiastico: Ast posito ordine, oportet etiam aliquem esse *priorem*; aliquem *medium*; aliquem *insuper* posteriorem in officio Ecclesiastico: Et per consequens dandus erit aliquis inter Ecclesiæ ministros *Primas* alias *Superintendens*, vel *Episcopus*, aut *Inspector* vocitari solitus, aliquis *Presbyter*, *vel Pastor*, *aliquis in super Diaconus*.

2. Ad *evitanda litigia*, *jurgia*, *& Schismata* quæ etiam facilè gliscunt, & tandem in flammas cum Ecclesiæ scandalo erumpunt, nisi ab Inspectore, ceu in gradu eminentiori, ac superiori officii constituto auctoritate suâ inter-

posit

positâ repressa, consopita, compositaq; fuerint: alioquin *pari in parem partes reprehendendi, ac dijudicandi non competunt, & omne agens suo patiente superius, non verò æquale, vel par esse debet.* Hoc fine constitutum in primitiva Ecclesia esse Episcopatum, testis est *Hieronym.* nimirum in *remedium Schismatis, & ad evellenda dissensionum semina, in Comment. super Tit.* Quia itaque studium Concordiæ imprimis in ordine Ecclesiastico desideratur, ceu requisitum ante omnia necessarium: utiq; desideratur simul distinctio quædam graduum officii Ecclesiastici in superiores, & inferiores.

3. Ad *probationem* eorum, qui ex *inferiori Ministerij* gradu ad superiorem suo tempore promovendi: idq; ex præcepto divino 1. *Tim.* 3. *vers.* 13. benè ministrantes (in Ecclesiâ) gradum sibi ipsis bonum reddunt, vel acquirunt, vel uti *Chrysost.* explicat super h. l. *Qui in his, quæ inferiora sunt, diligentiam suam, vigilantiamq; monstraverunt, facile & ad ea, quæ superiora sunt, atq; excellentiora pervenient.* Qua in parte imitari debent Ecclesiæ ministri *Nauticam* legem, juxta quam gubernatori, vel Navarchæ futuro primùm remi committuntur, deinde prora concreditur: vel *bellicam*, ubi ex milite primum fit Centurio, postmodum Imperator. Atque hanc praxin in primitivâ Ecclesiâ fuisse diligenter observatam, comprobant exemplo *Patrum annales Ecclesiastici*:

sic

sic *Eleutherius* Anthiæ filius, ab *Aniceto*, vel potius ab *Anacleto* literis sacris imbutus in Clericorum numerum cooptatus est: Nam anno 15. ætat. ad *Diaconatum* promotus: *triennio* pòst *presbyter* creatus, & insuper anno 20. ætat. *Episcopus* delectus, & in Illyriam missus apud Nicephor. *lib.*3. *c.*29. *Centur. Magdeburg.* 11. *cap.* 7. Sic *Basilius* M. primum *Lector* voluminum sacrorum extitit: deinde *Exegeta*, & *Interpres* factus, posteà ad *presbyterium* promotus, & tandem *Episcopus* creatus, referente Nazianz. *in vita Basil.* Ita Cyprianus *lib.*2. *Epist.* 5. *Aurelium* quendam, ex illustri familiâ oriundum adolescentem, utut eminentiori gradu dignum judicatum, *primùm* ad munus *Lectoris* ordinavit, à quo ad altiora postmodum ascendit. Idem de *Chrysost.* refert Socrat. *lib.* 6. *Hist. Eccles.* c. 3. quod Antiochiæ primum *Lector*, postea *Diaconus*, deinde *Presbyter* & tandem *Episcopus* factus fuerit. Neque tamen hanc praxin ubivis per omnia strictè, & rigidè esse urgendam voluerunt Veteres, sed cum *exceptione* 1. Juniorum insignibus donis, ætatemq; superantibus præditorum, Sap. 4. v. 8. 2. *defectus Seniorum*, quibus, ceu requisitis necessariis pollentibus, Inspectio Ecclesiæ majori cum fructu committi posset. Sic Paulus non dubitavit *Timotheum* præficere *Ephesinis* Ecclesiis Episcopum juvenem, 1. *Tim.* 4. *pers.* 12. quicquid tandem contradicat *Sadeel*

tractat.

tractat. de legitim. vocat. Minist. p. 68. 69. *&c.* contrà 1. *Tim.* 1. *v.* 3. *&c.* 3. *v.* 15. Huc ſpectat exemplum *Eleutherii* paulò antè commemoratum.

46. Deinde ex *parte Eccleſiæ ipſius*, ejusq; totius. Eſt n. Eccleſia, veluti quædam *Reſpublica*, *ſpiritualis* tamen: Uti verò Reipublicæ Politicę felicitatem conciliat 1. *Ordo* concinnus; 2. *vita honeſta*, omnium eorum, qui in ſocietate Politicâ degunt: 3. *tranquillitas interna* publica: 4. *Honor* publicus: 5. *pax* externa, 6. *robur*, 7. *divitiarum ſplendor* publicus: uti tradit Tull. *lib.* 5. *de Republ. &* *lib.* 8. *Epiſt. ad Attic.* & Banoſ. *lib. de polit. Civit. Dei*, *& Hierarch. Rom. c.* 12. *Sect* 2. Sic eadem ſtatui Eccleſiaſtico conciliant felicitatem, in quo deprehenſa fuerint: Vix verò, ac ne vix locum habebunt multò minùs in Eccleſiaſtica Republica conſervari poterunt citra præſcriptam quandam *diſpoſitionem*, *veluti regiminis formam*, intra cujus limites *tùm* perſonæ regentes, *tùm* regendæ cohibeantur. Ut igitur (1.) *Ordo* inter ſpirituales regentes retineatur, & obſervetur; expedit omninò obſervatio graduum in officio Miniſteriali, ex præſcripto pii Magiſtratꝰ; ita ut quidam ſint *eminentiores*; quidam *inferiores*: (2.) requiritur ad felicitatem Status Eccleſiaſtici *honeſta* vita, tùm *omnium* Eccleſiæ membrorum, tùm maximè *præcipuorum*, h. e. verbi præconum: oportet ergò præſtituere aliquem

certum, qui morum censuram administret, ac vitæ honestatem promoveat, non modò in vitæ integritate consistentem, qualis sit omnibus honestis Reipubl. membris communis; verùm etiam *spiritualem*, ita, ut vita simul sit *pia* 1. ad præscriptum verbi divini comparata, rectè *credendo*, 2. *piè*, *justè*, *&* *sobriè* vivendo. (3.) *tranquillitas* etiā *interna* publica, ex observatione distinctorum graduum sponte sequetur: ac cessabunt *rixæ*, *&* *contentiones*, *jurgia*, *litigia*, *æmulationes*: dabuntur enim auctoritate eminentiores, qui inferioribus ex officio studia partium inhibebunt, ac eosdem per fraternam caritatem ad mutuò sese diligendum propensos reddent. *Rom.* 12. *v.* 10. (4.) Tranquillitatem excipiet *Honos*, & reverentia publica; qualem quidem Ministerio exhibebunt tùm *omnes auditores* ex divino mandato 1. *Tim.* 5. *v.* 17. *Hebr.* 13. *v.* 17. tùm *docentes* sibi invicem, honore alius alium præveniendo *Rom.* 12. *v.* 10. tùm deniq; *extranei*, imò veritatis *hostes* maledicere, vel blasphemare nomen Domini desinent, ac honorificentius de Ecclesiis nostris sentient. Inde porrò (5.) pax *externa* Ecclesiis nostris affulgebit, dùm Infideles, & Hæretici non amplius habebunt, quo nomine Ecclesias nostras, ac inprimis Ministerium lacessant & turpiter traducant. Et quia tranquillitas, & *pax interna fundatur in Spiritus unitate*: ut sopitis dissensionibus non amplius

ampliùs in diversa distrahantur partium studia Ecclesiæ membra principalia, & subordinata: exsurgit inde Ecclesiæ statui (6.) *rubor*, quo constantèr orthodoxam religionem retinere, & voluti sacrosanctum quoddam depositum adversùs clancularios & apertos veritatis hostes validè propugnare queat; Non secus *ac virtus vitalis, si debeat veneno resistere, hominemq; ab interitu immunem reddere; non debet esse dispersa, sed unita*: unde etiam fortior, & robustior evadit. Et sicuti reipublicæ cives in statu pacato, & tranquillo rem familiarem augent, rerumq; agendarum nervos colligunt ut necessitate efflagitante libertatem Patriæ eò fortiùs defensent, & hostes propulsent; ac tunc quidem non debent animis diffidere, sed sententias, & facultates in unum conferre, sicq; hosti resistere. Idem incumbit civibus spiritualis reipublicæ munus, imminentibus hostium sive clandestinis, sive apertis insidiis & machinamentis. Porrò statu Ecclesiæ sic robore prædito, & confirmato, nil metuendum restabit, quod quidem eum vacillabundum, & ruinæ obnoxium reddat: Unde oritur (7.) *perpetua diuturnitas*, vel *continuatio, & propagatio sinceræ fidei*, vel *orthodoxæ religionis*, ad seram usq; posteritatem. Quibus (8.) ad extremum omnibus supervenit *splendor publicus*, ut ita sit Ecclesia benè constituta; in monte vel aprico, non vero in valle tenebricosâ sita;

famæ suæ celebritate apud regiones, & urbes alias percrebrescens: cui etiam benè precenatur, quò sit pax intra muros ipsius & prosperitas in palatiis ejusdem: *breviter*: ut sic reducatur Ecclesia ad statum Exaltationis: quali quidem statu per Dei gratiam coruscant Ecclesiæ in Electoratu *Saxoniæ*, ducatu *Pomeranico, Wurtembergico, & Franconico*; nec non in tractu *Vlmano* &c. maximè verò omnium extra Germaniam, in *Daniâ & Sueciâ*, constitutæ: in quo etiam ut diuturnùm perennent, ex animo precamur!

47. Contrà verò, sublatâ graduum & officiorum distinctione in Ecclesia; omnis *felicitas ejusdem concidit*: (1.) enim loco *Ordinis* regnat mera ἀναρχία, & inordinata confusio: ubi (2.) pro lubitu *creditur, & impunè* vivitur, non tantum inter auditores, verum etiam ipsos docentes: quilibet sectam sibi allubescentem amplectitur: Plurimi apud nos veneno Calviniano & Papistico intoxicantur; Multi ex Calvinianis, Anabaptistis, & Arianis colonias erigunt contra expressam dispositionem piissimi quondam Magistratus, cum neminem jam agnoscant, cui rationem fidei suæ reddant, inter Ministros Ecclesiæ; quidam limites officii transgredi non reformidant inter *Politicos*; non tantum libros *Calvinianorum*, & aliorum *Hæreticorum*, aliis insinuando; verum etiam domesticis, & aliis, in

privati

privatis conventibus diebus feriatis prælegendo: qualia attentata, vigore dispositionis de conservandis Ministerii gradibus, & de auctoritate Inspectoribus à nostro Magistratu concessa inhiberentur.(3.) Rarò deprehenditur in Ecclesia *tranquillitas*: plurimùm verò obtinent studia partium, tùm inter auditores, quorum *alij* ad *Calvinismum*: alii ad *Papismum* propendent: tùm inter *docentes*; quorum *plerique* Politicis adblandiuntur, iisq; nimium adhærendo alios *ordine se superiores nullos agnoscunt*, nec quidem Ecclesiastici judicii assessores; quos insuper protervè & maledicenter traducunt clam, & palàm. Hinc (4.) loco Honoris, ad Ministerium, & totam Ecclesiam *dedecus* redundat ab extraneis, & imprimis à *veritatis hostibus*. Proinde (5.) *innocentes* simul cum nocentibus turpiter undiquaq; ab hostibus veræ fidei traducuntur. Neq; 6. heîc quicquam *solidi roboris Ecclesiæ* pro tuendâ veritate & propellandà falsitate, ampliùs sperandum restat, fatiscente miserum in modum Ecclesiæ membrorum unitate, ac nemine seminae dissidiorum, & concertationmm evellente. Atq; inde (7.) *impossibile humanis* quidem sensibus ac præsidiis rem omnem æstimando, quò non tandem negotium religionis Orthodoxæ prorsus brevi pessum eat, & tandem in eam partem, in quam ruinosæ columnæ vacillando propendebant, & adhuc (*abrogato Ordine*

Ecclesiastico, nec non è medio sublatâ Ecclesiasticâ auctoritate, & disciplinâ) propendent, cum totali sinceri cultus divini depressione, & convulsione penitùs prolabantur. (8.) Quod cum ita sit; non possunt sanè Ecclesiæ in nostrâ Patriâ gloriari *de bonâ sui constitutione*; sed, si saperent, statum suum, eumq; *miserrimum* (in quo nunc quidem versantur) meritò cum serio dolore, & agnitione peccatorum, magisq; cum deprecatione pœnæ divinæ deplorare, & de remediis maturè, dùm adhuc *omnia cernuntur tenui pendentia filo*; atq; ita ruinam indies certò minitari, jamjam prorsus collapsura; solicitæ esse deberent. Nobis sufficit dixisse, & conscientiam liberasse. *Si non venissem, & dixissem eis; peccatum non haberent, nunc autem non habent, quod prætexant*: ex ore Salvatoris Ioh. 15. v. 22.

48. Ast inquis, multi multa prætexunt: 1. *Restaurato Graduum discrimine, & restituto pristino Episcopatus officio; Papismus ipsissimus inveheretur in Ecclesiam.* ℞. 1. Hanc esse communem cantilenam, quam subinde quidam *superiores, & inferiores*, hoc in Ducatu occentant: Proinde etiam ordinem illum in integrum restituendum prorsus elevant, & quantum in iis est, impediunt, quo minùs à Magistratu redintegretur. Si quæras primum hujus temerarii judicii auctorem; alium, *præter Spiritum Calvinisticum* vix deprehendes. I

namq

namq; uti omni bono, & decenti ordini Ecclesiastico aliàs infestus est: ita simpliciores fascinavit, ut rem Ecclesiæ proficuam pro exitiosa, & Papisticà reputent: Hinc *Beza* cum complicibus *æqualitatem Ministrorum urget per omnia*, & nullatenus *concedit, ut alter alteri præficiatur*: idq; ideò, quia talis præeminentia Papismum redoleat; novæq; tyrannidi occasionem præbeat: factum proinde videmus in *Calvinianorum* Ecclesiis, ut æqualis ἀναρχία obtineat, præsertim in *Germaniæ* locis quibusdam, & in *Gallia* apud *Hugonotas*; in *Belgio* etiam, & alibi: à quibus tamen dissentiunt *Anglo Calviniani*, Ordinem ferè in Ecclesiis suis cum Pontificiis communem retinentes, jurisdictione tamen in temporalibus exceptâ. *Calvinianis* itaq; objectionem illam acceptam ferant omnes ii, qui eam movere solent; adeò ut, qui ipsam mordicùs insuper urgent, sint vel *Calviniani* aperti; aut *clancularii*, vel ad *Calvinismum* propendentes, adeoq; à *Calvinianis* corrupti: *Illi* quidem ex *malitiâ*, & cum studio nocendi, *hi* verò ex *simplicitate*, *&* *ignorantiâ*. Non n. frustrà hoc à Calvinianis inculcatur; sed hoc fine, ut *religio eorum paulatim serpat; ac instar Carcinomatis primùm quidem Magnates; postmodùm verò plebejos occupet*, sine *ullo resistentiæ medio*. Nam quamdiu collapsus jacet ordo ille laudabiliter quondam frequentatus hisce in oris; tamdiu etiam collapsa jacet omnis

disciplina Ecclesiastica, omnis *visitatio*; omnis *Inspectio*, quâ *fidem*; quâ *mores* colonorum in Urbibus, & extra eas. Interea obtruduntur libelli *Calviniani*, *Postilla* Sculteti manibus omnium lubentiùs quàm scripta biblica teruntur; domatim præleguntur: Hinc multi seducuntur ac in odium nostrorum Theologorum, veræq; adeò religionis inflammantur. Hunc verò dolum simpliciores fascinati, *vel* non subodoruntur, aut *vix*, ac ne vix quidem, animadvertent verò aliquando: sed justo serius, cum vera religionis jacturâ: cùm *Calvinismus* clanculum modò gliscens: ac majoris partis irrefrenabiliter animis corruptis, ac imbutis, in apertum erumpet exercitium; quod facilè, nullo contradicente, aut renitente ex ordine Politico, & Ecclesiastico (propter ademtas Inspectionis parteis, quantumvis aliàs Theologi ad ravim usq; clamitent, & centies contra Calvinistas calamum stringant) collectis insuper potioribus votis, ac suffragiis, ac deniq; unanimibus postulatis improvidè impetrabit 2. Discant *simpliciores*, aut etiam *seductores* tenere discrimen inter triplicem Episcopatum: Est n. 1. *Apostolicus*, qui non differt à Presbyteratu tùm ratione *gradus*, tùm *officii*, & potestatis: uti supra monitum: 2. *Papisticus* qui nec Deum, nec Ecclesiam agnoscit auctorem; sed Cacodæmonem ipsum à quo etiam per media illicita

paula

paulatim introductus, & usq; ad ἀκμὴν promotus & evectus est. 3. *Ecclesiasticus*, in remedium Schismatis ab Ecclesiâ vetustiori ordinatus. *Priorem* damnare nemo citra crimen impietatis poterit. *Posteriorem* ac *tertium* nemo, citra crimen temeritatis & ingratitudinis repudiare meritò præsumserit: idq; ob supra allatas probationes. *Tertium* quod attinet; eum nemo Orthodoxus facilè defenderit: à quo verò Ordo noster commemoratus utplurimùm differt: imò tantùm; quantum distat cælum ab inferno 1. namq; Episcopi Romanenses *jure divino* dicuntur, uti introducti; ita superiores *Presbyteris*, idq; sub *Anathematis* fulmine vibrato in Concilio Tridentino. Nostri verò Episcopi ex *Ecclesiæ libertate* introducti, ac non, nisi ejusdem *ordinatione* presbyteris prælati. 2. *Illi* potestatem ac jurisdictionem sibi arrogant absolutam: Hi verò *limitatam*: ac potius *Ordinis* potestatem sibì competere agnoscunt quàm plenariæ jurisdictionis. 3. *Illi* una cum spirituali exercēt simul mulctam temporalem, adeoq; jus gladii eripiunt Magistratui politico: *Hi verò* contenti sunt solâ disciplinâ Ecclesiasticâ; reliquas partes executionis Magistratui Politico relinquentes: 4. *Illi* potestatem ordinis titulotenùs possident, nec sacra concionando, aut Sacramenta administrando partes muneris sui exsequuntur (præter Missaticum Sacrificium) His partes

immediatæ ejusmodi injunguntur peragendæ quas etiam exsequuntur. 5. *Illis* alligatur Spiritus S. & fictitia characteris impressio, adeò, ut non nisi ab Episcopo quis legitimè ordinari credatur in Papatu: *His* verò non solis Efficacia adscribitur; sed ex æquo omnibus ministris: non soli ordinationis ritum expedire tenentur; sed etiam alii presbyteri: reliquas nugas uti ignorant; ita sponte sibi competere rectè pernegant. 6 *Illi* à potestate civili Magistratus prorsus sunt exemti; & eidem parere recusant Magistratuum sibi subjugando; *Hi* verò lubentes parent, & subsunt.

II. *Restituto pristino Episcopatu, introducetur inquisitio Hispanicæ non absimilis; quam, vigore dispositionis; in visitationis & Inspectionis actu, Episcopi exercebunt.* R. Et hoc argumentum à *Calvinistico* Spiritu est profectum; is enim cùm videat, suam doctrinam antehac esse proscriptam ex hocce Ducatu: ac subodoretur, obtinente Inspectorum Visitatione, partes sibi nullas relictum iri; disciplinam illam Ecclesiasticam exoso Inquisitionis *Hispanicæ* titulo traducere apud simpliciores non erubuit. Ubi verò turpis committitur confusio rei bonæ & *licitæ* cum malâ & *illicitâ*. Censuram adhibere fidei, & morum, *est laudabile, & licitum*: quippe Primo in *Sacris literis* fundatum:(1.) Si enim Christus rationem fidei ab auditoribus suis exegit, citra Hispanicam Inquisitionem:

Idem

Idem fieri exemplo suo ab omnibus voluit Ecclesiæ doctoribus *Matth.* 16. v. 13. 14. (2.) B. *Petrus* omnibus Christianis injunxit, paratos esse ad rationem reddendam *cuilibet poscenti*, ejus, quæ in ipsis sit fidei 1. *Pet.* 3. *v.* 15. ubi verba *veteris Interpretis* sic habent: *parati semper sitis ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea, quæ in vobis est, spe & fide.* Si E. omnes Christiani tenentur rationem reddere suæ fidei cuilibet quærenti: cur non *Ministris Ecclesiæ*? Hinc erunt deterioris conditionis præ illis? (3.) Idem exigit *Officium Pastorum* spiritualium, hi n. debent vigilare pro animabus auditorum suorum, ceu rationem reddituri Deo, *Hebr.* 13. *v.* 17. E. etiam tenentur rationem & curam oviculatum suarum gerere, qualinam pabulo pascantur, salutari, an viroso? (4.) Exigit hoc etiam *mandatum divinum* Ezech. 3. ubi jubetur fidelis Ecclesiæ quivis *minister habere* rationem fidei, & vitæ auditorum suorum; ita quidem, ut auditores in fide, & moribus aberrantes re certò exploratâ, graviter monere, & in rectam semitam reducere debeat; cum comminatione vindictæ, negligentiam mulctâ æternâ compensantis, subsecuturæ. (5.) Quia tenentur omnes Christiani Spiritus, num ex Deo sint, *probare* 1. *Ioh.* 4. *v.* 1. (6.) Quia iidem tenentur omnia probare & quod bonum est, retinere 1. *Thess.* 5. *v.* 21. E. etiam doctrinam, & fidem auditorum. (7.)

Quia

Quia auditoribus integrum est, rationem poscere fidei doctorum suorum, & eam juxta scripturam examinare, *Act.* 17. *v.* 10. 11. exemplo *Beroensium*: cavere sibi à Prophetis falsis. *Matth.* 7. *v.* 15. à formento falsæ doctrinæ c. 16. *v.* 6. 11. Ergò partes reciprocæ denegari non debent Ministris Ecclesiæ. (8.) Quia fides non tantùm debet *latitare in corde* sed *tenetur* sese foras exserere *oris confeßione*. Rom. 10. *v.* 10. ubi confessio intelligitur *tùm* privata; *tùm* publica. (9.) Quia ubi idem fidei Spiritꝰ omnibus; ibi omnes oportet edere fidei confessionem ore, 2. *Cor.* 4. *v.* 13. *ex Psal.* 116. *vers.* 10.

Deinde praxi laudabili in aliis Ecclesiis usitatum, ac frequentatum. Sic in *Electoratu Saxonico* disciplina talis observatur diligenter ex sanctione pientissimi Magistratus; ita, ut nisi quis libris Symbolicis subscribere voluerit, ad nullam dignitatem admittatur, nec in ea toleretur, si suspicionem hæreseos incurrerit. *vid. præfat.* Libr. Concord. Eadem disciplina observatur in *Regnis Daniæ*, & *Sueciæ*; nec tamen unquam nomine Inquisitionis traducitur ab ullo.

Tertiò eadem consuetudo observata est, & adhuc hodiè observatur rigidè in Ecclesiis *Calvinianis*: Ita *Steinfurti* à Photinianâ religione suspectis certi articuli propositi leguntur cum hac clausula: *Respondeatur à singulis medio juramenti, vel Conscientiam esse petendam*, vid

Bon

Bon. Fid. Sibrand. p. 63. Sic in *Anglia* Baroni cuidam à *Calvinianis* dissentienti, certi præscripti erant articuli de *prædestinatione*, *à presbyterio Anglicano*, pro edendâ fidei confessione A. 1595. 20. *Novembr.* Et annon nuper *Calviniani Belgici* inquisiverunt in fidem *Arminianorum*? Quæro jam, in quonam loco ejusmodi censuræ fidei habendæ? Si dixeris, esse *illicitas* E. reprehendis praxin Calvinianorum: & sic Calviniani erunt Inquisitores Hispanici: Sin verò asserueris licitas: Cur jam nostram disciplinam turpiter *Hispanicæ Inquisitionis* crimine oneras? Improbamus verò nos ipsimet *Inquisitionem Hispanicam*, ceu rem *illicitam*, & *impiam*: institutam non ad veram, sed *falsam*, & idololatricam religionem 2. non *spiritualibus*; sed *corporalibus* armis, v. g. carcere, rotâ, ponto, rogo, fune, gladio, torturis: 3. non secundum *Dei verbum*; sed Romani Pontificis *imperium*, & commenta humana 4. *Conscientias* non in libertate relinquendo, sed iis *imperando* 5. affectu non *paterno*, sed *tyrannico*; à qua quidem praxi quantùm disciplina nostra Ecclesiastica differat, quilibet candori deditus sponte perspicit: quippe instituta 1. ad *agnitionem* veritatis, & salutem animarum; 2. *gladio verbi*, non ferri: 3. juxta *præscriptum verbi* divini: 4. conscientias non gravando: sed *in libertate relinquendo*: 5. affectu *paterno*.

III. *Hoc pacto Ordo Ministrorum permutaretur in dominium:*

R. Sed

R. Sed quâ de causâ? Distinguatur potiùs 1. inter potestatem *jurisdictionis* plenariæ, & *Inspectionis*: Hæc tribuitur divinitùs ordini Episcoporum; non illa: 2. inter potestatem *spiritualem Ordinis & honoris*: & *temporalem* splendoris, & *Majestatis*: *Illa*, ceu à potestate clavium, & disciplinæ Ecclesiasticæ vigore concessa est Ministris; *hæc* spectat ad secularem Magistratum: 3. inter potestatem ratione *omnium*; & *quarundam* partium: Conceditur Ministris Ecclesiæ si non *Dominium*, tamen *superioritas*, ratione *certarum*, sibique competentium partium, ob potestatem sibi divinitus concessam: denegatur autem ratione partium *omnium*, etiam *secularium*. Et sic *illo* modo præsunt; *hoc* verò subsunt Magistratui.

IV. *Restaurato eminentiori gradu, renovabuntur rixæ, & contentiones, inter Episcopos, more pristino.*

R. 1. Si propter rixas, & dissensiones ordo Ecclesiasticus penitùs sit abolendus; tunc nullus unquam relinquendus Ministerio locus, nec inter Apostolos quidem: qui acriter aliquoties de primatu concertabant: ideò verò Christus Apostolicum ordinem non abolebat. Sic post Ascensionem Christi *Paulus* cum *Barnaba* contendebat, Act. 15. ut & cum *Petro* Gal.2. ordine neutiquam violato. Immò ne ordo *Politicus* aut *Oeconomicus* esset ampliùs servan-

servandus, quia utrobiq; lites, rixæ, & contentiones obtinere solent frequentissimè.

2. Huic malo optimè Magistratus consulere poterit, rixosos abdicando, & de gradu dignitatis removendo; ac pacificos surrogando.

V. *Evaderent Episcopi tumidi, & superbi, luxuiq; dediti.*

R. Prudentium id partes non committent, quin humilitati, & modestiæ studeant, moresq; suos ad verbi divini normam, & regulas sapientum attemperent. 2. Id malum in *omnibus statibus* est vulgare & frequentissimum; ideò tamen Ordines non convelluntur.

VI. *Non necessarius ampliùs est Ordo Episcoporum; ob instaurationem Consistoriorum, quorum assessores vices Episcoporum expediunt, & administrant.*

R. Esset quidem minùs malè prospectum Ecclesiæ, si modò partes illę assessoribus essent delegatæ: sed non sunt; præter decisionem caussarum matrimonialium; & cognitionem quorundam casuum Theologicorum. Ast ubi manet 1. *Visitatio*: 2. *Inspectio Ecclesiarum*: 3. Synodorum institutio 4. *& reliqua disciplina Ecclesiastica*: 5. *Iurisdictio*, eaq; plenaria *Ordinis*? in abyssum sunt hæc, & id genus alia projecta; neq; Consistorio indulta.

VII. *Hactenus religio vera cum Ecclesiis sarta tecta, sine Episcoporum Inspectione, & visitatione permansit.*

manſit. E. hic ordo non impoſterum erit neceſſarius.

R. 1. Negamus, religionem puram per-
manſiſſe per omnia: annon introducta *Ponti-
ficia*?, annon *Calviniana* ſerpit, & plurimos oc-
cupat? Utrinq; præcluſus fuiſſet ingreſſus, ſi
præſtò fuiſſent, qui in officio ampliori conſti-
tuti, in conſilium adhibiti eſſent; non pate-
rentur ii vel latum unguem à diſpoſitione &
conſtitutione *piiſsimi* Ducis Ordines in varias
partes abire, adeoq; vel *Papiſmum*, vel *Calvini-
ſmum* introducere.

2. *Deinde* diſtinguendum inter religionis,
& Eccleſiæ *eſſe*, & benè *eſſe*: remanſit quidem
religio cum *Eccleſiâ* ratione *ſui eſſe*, ſed non *be-
nè eſſe*: 1. ob *mixturam* religionum: 2. ob abro-
gatum bonum *ordinem*: 3. ob *preſſuras* docto-
rum, & Miniſtrorum Eccleſiæ, adeoq; perſe-
cutiones clandeſtinas, & apertas.

3. Rebus pejorem in modum compara-
tis indies; proclivius ſimul ad ruinam nego-
tium religionis redditur: niſi ipſe Deus ma-
num ſuam benignè ſupponat & doctrinam ſa-
nam paternè conſervet: alioquin ob ingrati-
tudinem incolarum ſolet Deus vigore juſtitiæ
ſuæ univerſas Colonias, & provincias benefi-
cio purioris religionis privare; (2. Par. 15. v.
2. *Tranſibunt dies multi in Iſrael abſq; Deo vero,
abſq; Sacerdote, abſq; Doctore, abſq; lege*) & e.
juſto judicio ſuo Zizania à Diabolo dormien-
tibus hominibus diſſeminata, altas radices

agere;

agere; adeoq; tandem triticum suffocare sæpiùs permittit. Matth. 13. v. 25. Hinc cordatè Wigandus: *Quia certum est*, inquit, *inter caussas, quare Deus gravißimè puniat, & interdum totas civitates & regna deleat, esse falsarum dogmatûm sparsiones, & tolerationes.* Nam impias doctrinas *comitantur innumera peccata contra priorem, & posteriorem tabulam* Decalogi *tract. d. persecut. p.* 131.

VIII. *Religioni non est prospiciendum humanis præsidiis; utpotè cujus cura soli* Deo, *ceu auctori, & supremo* Inspectori *in solidum committenda.*

R. 1. Utrumq; Ecclesiæ necessarium esse: (1.) *ut* religionem puriorem Deo, ceu supremo auctori, ac conservatori acceptam ferant; & (2.) *ut* de ordine Ecclesiastico rectè constituendo, & conservando solicitæ sint; quò omnia decenter, & ordinatè in Ecclesia gerantur.

2. Malè opponuntur caussæ, nimirùm *principalis, & instrumentalis*, seu Ministerialis: cùm tamen subordinata non pugnent. Verum est, religionem conservari, & propagari à Deo, ceu caussâ principali, & summâ; sed addendum, quod non *absolutè, & immediatè*, sed potius per *certos* in Ecclesiâ *Ordines*, & Ministros. Deiq; legatos, speculatores, & Episcopos: His enim Spiritus ipse S. id officii, & muneris delegat, quò non tantùm sibi ipsis sed etiam Gregi Dominico intendant, & pa-

scendo, quantum in ipsis est, oviculas suas, ab iisq; lupos arcendo Act. 20. v. 28. (*qui ingredientes gregi non parcent, vel ex medio auditorum exorientes viri loquentur perversa, ut abducant simpliciores post se*) vigilent v. 29. 30. 31.

3. Distinguendum est inter *præsidia carnalia*, temporalia, & merè *humana*, in armis corporalibus, brachioq; seculari consistentia, & postmodùm inter præsidia *Ordinis Ecclesiastici*, ceu *spiritualia*, in ostensione spiritus, & virtutis; potestate, & disciplinâ Ecclesiasticâ consistentia: *Illa* Christiani non debent attendere in religionis propagatione, & conservatione; *hæc* verò ex ordinatione divinâ nullo modo ab eis sunt contemnenda, vel negligenda; sed omninò adhibenda ad *demolitionem munitionum, quibus consilia demoliamur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur adversus cognitionem Dei, & captivam ducamus omnem cogitationem ad obedientiam Christo; & in promtu habeamus omnem vindictam adversus omnem inobedientiam, vigore potestatis nostræ, quam dedit Dominus nobis in ædificationem, & non in destructionem Ecclesiæ, ne pudefiamus* 2. Cor. 10. v. 4. 5. 6. 7. 8.

IX. *Plures Ecclesiæ destituuntur Episcopis; in quibus tamen viget sincerus Dei cultus, & purior religio personat.*

R. 1. Fatemur: ideoq; superius rectè distinguebamus inter Ecclesiam veram, ut & religionem, ratione sui *esse*, & benè *esse*; non negamus

gamus ergò, dari Ecclesiam veram, dari etiam religionem veram citra ordinem benè in Ecclesià constitutum; non tantùm extra Ecclesiæ hostes; verùm etiam in medio veritatis hostium, v. g. Pontificiorum in *Italiâ*, & alibi; vel *Calvinianorum*, in *Germaniâ*, *&* Belgio &c. Sed addimus, non reperiri ibidem *τὸ benè esse* uti Ecclesiæ; ita religionis. *Est n. ibi Ecclesia preßa, non libera; obscura*, non *splendida*; religio rarissimè in templis, creberrimè domatìm, ac quibusdam in locis clanculùm exercetur.

2. Negamus, Ecclesiis Lutheranis benè constitutis deesse Episcopos: Gaudent enim suis *Superintendentibus*; suis *Abbatibus*; suis *Præpositis ac Inspectoribus*, in Germania; suis etiam *Episcopis* & *ArchiEpiscopis* in Daniâ, & Sueciâ.

49. Contemplati hactenus fuimus Ordinem Ecclesiasticum, ceu *unam* Ministerii Ecclesiastici Formalis *partem*; videamus etiam *alteram in administrandi modo consistentem*.

50. *Modus* hic administrandi repræsentat officium Ministris Ecclesiæ delegatum divinitus, quale est: 1. *Verbi prædicatio*. 2. *Sacramentorum administratio*. 3. *morum gubernatio*: 4. *Pauperum, & ægrotorum visitatio*: 5. *Ecclesiastica Iurisdictio*; ad quam pertinet 1. *Conciliorum convocatio*; 2. *Presbyterorum institutio*; 3. *Disciplinæ Ecclesiasticæ administratio*, *&* *gubernatio*; *&* 4. *deniq; potestas* clavium, vel disciplinæ Ecclesiasticæ *Executio*.

Canon I. Modus administrandi totalis; vel, officij Ecclesiastici partes universæ omnibus Ecclesiæ ministris ex æquo competunt jure divino: restrictæ verò sunt instituto humano ad certos gradus Ministerii.

Uti namq; *Ordines, & gradus* inter Ecclesiæ Ministros, ex Ecclesiæ arbitrio, & libertate sunt bono fine introducti: ita *officij* partes, ceu peculiares certo ordini sunt assignatæ: Atq; *ita jure divino omnes Ecclesiæ Ministri sunt æquales*: 1. ratione *dignitatis*. 2. *potestatis* claviũ; 3. *administrandi* verbum & Sacramenta: *inæquales* verò jure *Ecclesiastico*: ita, ut quædam quidem partes remaneant communes omnibus: v. g. *prædicatio* verbi; *administratio* Sacramentorum; *potestas* clavium: *quædam* verò per *superiores* exerceantur, idq; non *privatâ* auctoritate; sed Ecclesiæ *totius nomine*; v. g. eæ, quæ ad *partes Iurisdictionis* pertinent. Hinc nata est distinctio inter *primatum* ordinis, & *potestatis* Ille datur inter Ecclesiæ ministros; *hic* verò minimè Ille vocari solet primatus *Inspectionis*; hic *Iurisdictionis*.

Canon II. Partes officii Ecclesiastici 1. quædam solum Ministerium concernunt; 2. quædam directorium Magistratus requirunt: 3. quædam deniq; totius Ecclesiæ consensum exigunt.

Ad *Ministerialem* ordinem namq; solum spectat: 1. *prædicatio* verbi; 2. *administratio* Sacramentorum: & 3. *potestas* clavium: adeoq; solven-

ſolvendi, & ligandi peccata: 4. *morum gubernatio*, ad quã pertinet Inſpectio, Viſitatio, & reliquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ partes. 5. *pauperum, & ægrotorum viſitatio*. Quibus 6. addi poteſt funerum ad ſepulturam *deductio*. Ex *directorio Magiſtratus* inſtitui ſolent: 1. *Synodorum* convocatio: Ita quidem ex praxi Eccleſiæ veteris obſervavimus, quod partes apud Magiſtratum ſuperiorem, Synodos inſtituendi, & Concilia fuerint devolutæ: ut teſtatur Hiſtoria de *Conſtantino*: *Gratiano*: *Theodoſio*: idq; ratione *convocationis*, & *citationis*: alioquin enim *ex liberalitate*, *Magiſtratum* Ordini *Eccleſiaſtico ſæpiùs ceßiſſe novimus*, præſertim quâ Synodos particulares, reſpectu certarum Eccleſiarum: immò etiam Univerſales in certis quibusdam provinciis, Regnis, & Ducatibus. Sic Elector Saxon. *Auguſtus* poteſtatem Synodos Convocandi penes Superintendentes eſſe voluit in Agẽdâ Eccleſiaſticâ Electoral. A. 1557. titul. von Wahl/vnd Ampt der Superintenden. ad cujus exemplum piiſſimus Dux *primus Prußiæ*, poteſtatem *Synodos & concilia* convocandi, & inſtituendi, *Epiſcopis* hoc in Ducatu commiſit, uti ſuprà dictum: idq; non ſine ſapienti conſilio, & prudentiâ, ut ſi contigerit poſt ſua fata, Magiſtratum fore à fide orthodoxâ alienum, non ab ipſius arbitrio, & directione, ſed ab Epiſcoporum officio, & poteſtate delegatâ; id curæ eſſet exigendum: ſic

Ecclesiæ necessitate, & salute flagitante: 2. *Inspectionis* Ecclesiasticæ *executio.*

Totius Ecclesiæ *consensus* exigitur 1. in ministris Ecclesiæ *instituendis*, & *removendis*: 2. *in executione* potestatis clavium, & quidem ratione *Excommunicationis Majoris*: *quæ non debet institui sine præscitu totius Ecclesiæ*, & *consensu Consistorii*: vid. Dn. Gerhard. *de Minist. Eccl.* p. 463. §. 286. Dantur & *aliæ* quædam munii Ecclesiastici partes, ratione *casuum Matrimonialium*, quorum decisio jure Magistratui, ex *cessione* verò spontaneâ Magistratus, Ecclesiasticis personis competit, & sic ad Ecclesiastica judicia devolvi solent.

51. Hæc, & id genus alia non possumus, etiamsi velimus, prolixiùs explicare, & diducere: remittentes lectorem ad suprà commemoratos Tractatus Theologorum, quibus adjungimus *Pastorale* B. *Lutheri*, & *Dn. Baldvini de Ministerio Eccles. tractat.*

De Fine Ministerii.

52. Restat de *causâ Finali* Ministerii ad extremum aliquid dicendum.

53. Talis verò esse potest *vel* internus, *vel* externus finis.

54. *Internus* consistit in *executione* officiali: de quo *Theorema.*

I. *Finem internum Ministri Ecclesiæ assequuntur semper*; idque ex potestate sibi divinitu

deman

demandatâ, & præsuppositâ aptitudine ad peragendum officium, exceptis tamen semper *casibus necessitatis*; Sic finem huncce internum assequitur Ecclesiæ minister, quoties concionatur; quoties Sacramenta administrat &c.

55. *Externus* vicissim est vel *cui*, vel *cujus* gratiâ.

56. *Finis cui*, sunt homines in Ecclesiâ, in quos, ceu subjectum tenetur minister Ecclesiæ finem cujus gratiâ introducere per actionis suæ cum divinâ conjunctionem, & communicationem.

57. *Finis cujus gratiâ*, isque tum intermedius, est *fides salvifica*, in homines peccatores introducenda, tum *ultimus* (secundum quid) estque *salus Ecclesiæ, & beatitudo æterna*, (ultimus *simpliciter*, est Dei gloria.)

Canon I. *Finis etxernus Ministerii est cum Efficaciâ divinâ conjunctus*: dependet n. 1. ex mediis *efficacibus*, uti sunt Dei verbum, & Sacramenta, circa quæ officium Ecclesiasticum occupatur: 2. ex *potestate* divinâ Ministris delegatâ: 3. ex promissione *divina efficaciæ* largiendæ Ministris officii partes peragentibus: adeoque 4. ex intentione divinâ *omnibus hunc finem* conferre volente, & destinante.

2. *Finem externum Ecclesiæ Ministri operantur non ex se, & per se, sed ex nobiliori Gratiæ divinæ principio*: quod humanam Ministrorum actionem ex statu inferiori ad sublimiorem elevat,

elevat, & aptam reddit ſupernaturaliter operandi. 2. Cor. 3. v. 5.

3. *Finis externus hic ex Dei intentione ad omnes homines pertinet*: ratio, quia media pro omnibus hominibus ſalutaria ſunt inſtituta, ceu Miniſterii objectum.

4. *Finem externum Miniſtri Eccleſiæ non ſemper aſſequuntur*; ratio, 1. quia non eſt in eorum poteſtate: 2. quia talis finis eſt *conditionatus*, prærequirens mediorum legitimam uſurpationem, ex parte auditorum.

SOLI DEO

Laus & perennis gloria.